eis teſtandi, aut aliter diſponendi, & re ipſa juxta eam diſpoſuerit. Atque idem dicendum, ſeu benè ait procedere, etiamſi talis religioſus eſſet ex Minorum ordine; quia bona, quæ hi vel donatione, vel propria induſtria acquirunt pertinent ad monaſterium quoad uſum, ut diximus. Similiter benè ait ibi *Molina* hæreditatem delatam monacho obvenire ſemper monaſterio, niſi in ipſa facultate oppoſitum exprimatur.

61 Hæc autem intelligenda ſunt, niſi regulares illi extra monaſterium viventes ſint ex privilegio Pontificis exempti omnino à Prælatorum obedientia; tunc enim acquirent Pontifici, cujus ſolius obedientiæ ſubſunt. Idque verum eſt ſive acquirant ex aliqua penſione ſibi à Pontifice conceſſa, ſive ex eleemoſynis, ſive ſua induſtria, ſive ſucceſſione hæreditaria. Sic *Azor. tom. 1. inſtit. moral. l. 12. c. 10. qu. 7.* & aliqui, quos tacito nomine refert *Leonardus lib. 2. de juſtitia, c. 41. dub. 11. n. 89.* quorum ſententiam ait eſſe ſatis rationi conformem, niſi conſuetudo aliter habeat. Immò hodie indiſtinctè ſuccedit in hujuſmodi bona poſt obitum illius religioſi Camera Apoſtolica, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato, ſive occaſione beneficii, aut alia quacumque via acquiſierit, niſi habuerit facultatem teſtandi, & de illis ſit teſtatus: ut ſtatuit Gregorius XIII. in quodam motu proprio, incipiente? *Officii noſtri.* Sed clarè loquitur, quando extra monaſterium decedit, quia loquitur de ſucceſſione poſt mortem; & ita explicat *Azor. tomo 2. inſtit. mor. lib. 8. c. 3. qu. 15.*

SUMMARIUM.

Acquiſita à religioſo facto Epiſcopo, ad quem pertieant, numero 62.
Quid ſi ſucceſſione donatione, aut propria induſtria ſint acquiſita? num. 63.
Quid ſi religioſus ille factus Epiſcopus ſit frater Minor? numero 64.
A quo tempore, nempe an à tempore electionis, confirmationis, aut conſecrationis incipiat Eccleſia acquirere? Refertur duplex ſententia, num. 65. & 66.
Explicatur ſententia Auctoris, num. 67.
Cui acquirat religioſus creatus Epiſcopus titularis, num. 68.
Cui religioſus accipiens Eccleſiam in commendam, num. 69.
Cui acquirat religioſus creatus Cardinalis, num. 70.
Cui acquirat religioſus ad beneficia alia inferiora provectus? Referuntur variæ ſententiæ à num. 71. uſque ad 75.
Explicatur ſententia Auctoris, num. 76.
Quid ſi ille religioſus plura habeat beneficia? num. 77.
Cui acquirat religioſus habens penſionem eccleſiaſticam, num. 78.
Cui acquirat religioſus factus Prior alterius monaſterii? Refertur duplex ſententia, num. 79. & 80.
Explicatur ſententia Auctoris, num. 81.

62 QUæſtio poſterior. Ad quem pertineant bona acquiſita à religioſo licitè creato Epiſcopo, vel Cardinali, aut tranſlato ad aliud beneficium, aut habente penſionem, aut tranſlato ad diverſi ordinis monaſterium ut ſuperior illius ſit? Hactenus in quæſtione ſuperiori tractavimus de acquiſitis tempore ante promotionem ad Epiſcopatum, aut ad beneficium, & quando tranſlatio ad alium ordinem perpetua fuit: nunc autem diſputandum eſt de acquiſitis poſt Epiſcopatum, beneficium, aut penſionem adeptam, aut tranſlationem temporaneam ad alium ordinem, ad munus ſuperioris in illo obeundum; quæ ſatis confusè à Doctoribus tractantur, & ideo qua potuerimus claritate, & diſtinctione ſingillatim de his agemus. Prima ergo difficultas eſt, quando religioſus ad Epiſcopatum promovetur. Conſtat apud omnes auctores allegandos acquiſita ab eo poſt Epiſcopatum adeptum ab ipſo adminiſtranda eſſe, dum ſuperſtes fuerit, & eo defuncto non ad monaſterium, ſed ad Eccleſiam, cujus eſt Epiſcopus, ea pertinere. Sic enim diffinitur *c. unic. 18. quæſt. 1.* quem textum præter omnes auctores in hac diſputatione allegandos, ita intelligunt *Gloſſa ibi verb. legitimus*, ab omnibus recepta, & *D. Thomas 2. 2. qu. 188. art. 8. ad 3. Speculator titul. de ſtatu monach. §. unic. n. 29. qu. 23. Abbas c. fin. num. 3. de regularibus, Sotus lib. 10. de juſtitia quæſt. ultima art. ultim. ad 3.*

63 Quod verum habet, etſi jure hæreditario ea bona poſt Epiſcopatum acquiſita ſint. Quod ſatis apertis verbis indicat textus *d. cap. unic.* atque docent *Molina tomo 1. de juſtitia diſputatione 140. in fine. Leonardus libro 2. de juſtitia cap. 41. dubio 11. numer. 92. Manuel qq. regul. tom. 2. quæſt. 58. artic. 7.* Atque idem dicendum eſt de acquiſitis donatione, ut bene tradunt *Leonardus ibidem, & Azor. tomo 1. inſtitut. moral. lib. 12. cap. 10. quæſt. 6.* & idem dicendum eſt de acquiſitis propria induſtria aut labore, ut bene docent *Covarr. cap. 1. num. 19. de teſtam. Azor. ea qu. 6. Manuel ea qu. 17. artic. 6.* Quod etiam docent DD. allegandi *num. 71. & 73.* cùm priores id dicant de acquiſitis undecumque à quolibet religioſo promoto ad quodvis beneficium: poſteriores autem id dicant indiſtinctè de acquiſitis à religioſo, cui alicujus Eccleſiæ regimen commiſſum eſt. Quamvis minus bene Doctores *num. 75.* allegandi dicant, ſola acquiſita ex re Eccleſiæ, vel operis, ac induſtria hujus religioſi præfecti Eccleſiæ, acquiri Eccleſiæ; acquiſita verò aliunde, ut ſucceſſione, aut donatione, acquiri monaſterio.

64 Quod quidem procedit, licèt religioſus ille factus Epiſcopus ſit ex Minorum fratrum ordine, quia ut probavimus ſupra a *num. 27.* is factus Epiſcopus jus ſuccedendi parentibus, & agnatis, adminiſtrandique bona undecumque acquiſita, dum vixerit, recuperat. Quare ipſi mortuo ſuccedit ſua Eccleſia, ſicut de aliis Epiſcopis religioſis diximus. Atque ita tradunt *Duennas* alios referens *regula 381.* ampliatque *Tapia authent. ingreſſi verb. ſua c. 6. n. 87. Azor. tomo 1. inſtitut. moral. lib. 12. c. 10. qu. 6. & c. 15. qu. 3. Molina tomo 1. de juſtititia diſput. 140. col. 1. verſ. quando religioſus Minor.*

65 Difficultas autem eſt, à quo tempore religioſus factus Epiſcopus deſinat acquirere monaſterio, incipiatque Eccleſiæ acquirere. Quidam ſentiunt incipere acquirere ſuæ Eccleſiæ à tempore confirmationis, poſſeſſioneque ſuæ Eccleſiæ accepta, licèt nondum ſit conſecratus, atque ita poſt Pontificis confirmationem, & acceptationem corporalis poſſeſſionis Eccleſiæ, quia licèt ante hanc acceptationem juriſdictione Epiſcopali potiatur; at non plenè in Eccleſiam dicitur tranſlatus, donec corporalem ejus poſſeſſionem nactus ſit. Sicut nec miles ex uno exercitu ad alium tranſiens dicitur ex poſteriori eſſe, antequam ad eum perveniat, *l. ex eo tempore, ff. de milit. teſtament.* Atque ita ſentiunt *Gloſſa fin. cap. ne pro cujuslibet 16. quæſt. 1. & 18. quæſt. 1. in ſumma, ad fin. & ibi Turrecrem. num. 2. Hugo allegatus ibi per Gloſſam Ancharanus cap. cùm olim. el 2. num. 7. de privileg. Imola cap. ut unuſquiſque num. 2. oppoſ. 2. de pecul. cleric. Boerius in ſuis quæſt. q. 83. num. 1. Tapia authentic. ingreſſi verb. ſua cap. 6. num. 83. C. de ſacroſanctis Eccleſiis.*

66 Alii cenſent à tempore creationis incipere acquirere Eccleſiæ, & uſque tunc acquirere monaſterio: tum quod conſecratione nomen Epiſcopi comparet, ut tradit *Gloſſa cap. 1. verb. dedicanda de religioſis domibus*, tum etiam, quia id videtur decidi *c. unic. 18. qu. 1. Sacra ordinatio de monacho Epiſcopum facit*, & paulo inferiùs, ibi; *poſtquam Epiſcopus ordinatur.* Atque ita videtur tenere *Archidiac.* quamvis verbis ſubobſcuris *c. 18. qu. 1. in ſumma n. 1.* & tenent *Hoſtienſ. c. cùm olim el 2. n. 10. de privileg. Ananias c. fin. num. 8. in fin. de regul. Alciatus conſ. 1. n. 22. lib. 1.*

67 Cæterùm placet à tempore confirmationis Pontificiæ incipere acquirere Eccleſiæ quia ex tunc eſt verus Epiſcopus à juriſdictione monaſterii penitus exemptus, ſolique Pontifici ſubeſt. Non igitur jam monaſterio acquirit, cum quo nullam communionem habet. Præterea, quia ex tunc omnia Epiſcopi munia, præter ſola characterem Epiſcopalem deſiderantia, obire poteſt, ut habetur *c. tranſmiſſam in fin. de elect.* Tandem, quia Epiſcopus titularis nullius Eccleſiæ poſſeſſionem accipit; & tamen, ut dicemus *num. ſequenti*, non acquirit monaſterio. Et ita hanc partem tenet *Manuel tom. 2. ſumm. 70. num. 9. & qq. regular. t. 3. qu. 69. art. 4.*

68 Rurſus difficultas eſt, cui acquirat Epiſcopus titularis. Quidam exiſtimant eum acquirere monaſterio. Ducuntur, quod nullam ſedem habeat. Sic tradunt *Sotus l. 10. de juſtitia qu. ult. art. ult. ad 3. Manuel qq. regul. t. 3. qu. 69. 4. in fin. Emmanuel Sa in ſumm. verb. religio num. 52.* Sed verius eſt, eum acquirere Pontifici, quia ſolutus eſt omnino à religionis obedientia, ſubeſtque immediatè Pontifici. Cùm ergo nullam in poſterum cum monaſterio communionem habeat, non ipſi acquiret, nec etiam Eccleſiæ, nullam ſedem habens, ſed Pontifici, cui ſoli ſubditur. Atque ita ſuſtinet *Azor. tom. 1. inſtitut. moral. lib. 2. cap. 10. quæſt. 7. in fin.*

69 Præterea dubitatur de religioſo, cui non in proprietatem, ſed in commendam datur Eccleſia. Quidam enim cenſent eum non Eccleſiæ, ſed monaſterio acquirere, quod non ſit Eccleſiæ ſponſus, nec plena inter utrumque conjunctio. Sic tenent *Cornel. conſilio 88. in initio volum. 2. Alciat. conſ. 1. num. 10. lib. 1.* Cæterùm hoc non credo, ſed exiſtimo eum acquirere Eccleſiæ, quia dum Eccleſiam illam adminiſtrat, eſt exemptus omnino à juriſdictione Abbatis, & in omnibus vices Epiſcopi gerit, ejus munus obiens. Ergo in acquiſitione eſt quoque Epiſcopo ſimilis.

70 Tandem idem, quod diximus de religioſo facto Epiſcopo, dicendum eſt de religioſo facto Cardinali: is enim ſuæ Eccleſiæ acquirit, quia Cardinales dicuntur adminiſtrationem Eccleſiæ habere, & ſunt omnino à monaſterii juriſdictione exempti. Atque ita docet *Riminald. conſ. 342. à num. 28. vol. 3.*

71 Secunda principalis difficultas eſt, cui acquirat religioſus ad alia beneficia inferiora provectus. Diverſimodè ſentiunt Doctores in hoc. Quidam loquentes indiſtinctè de beneficio, dicunt quando beneficium, ad quod promovetur religioſus, non ſubeſt monaſterio, eum acquirere Eccleſiæ, in qua beneficium habet, & idem ſi beneficium ſit regulare ſui ordinis non ſubjectum illi pleno jure, ſed ordinario, ſaltem quoad inſtitutionem & reſtitutionem. Idem ſi ſit ſubjectum pleno jure, quando nequit religioſus ad nutum ſuperioris amoveri; ſed ex culpa ſufficiente, ſive id jure communi, ſive conſuetudine, ſive privilegio contingat. Ita docent *Navarr. comm. 2. n. 6. de regul. Tapia authenth. ingreſſi verb. ſua c. 6. n. 8. C. de ſacroſanctis Eccleſiis. Manuel qq. regul. t. 1. q. 34. art. 7.* adduntque *Navarr. ibi, & Leonardus l. 2. de juſtitia cap. 41. dub. 11. n. 91.* idem dicendum de quocumque beneficio regulari monachi, & ſubinde ad ſuperioris nutum amobili: nam antequam amoveatur, & revocetur ad clauſtrum, acquirit Eccleſiæ. Et ſubdit *Navar. eo num. 6. & num. 10.* hoc procedere non ſolùm in quæſitis ex fructibus beneficii, ſed etiam in quæſitis aliunde, ſive ex contractu, ſive ex ultima voluntate, ſive quomodocumque. Et huic ſententiæ conſonat *Azor. tom. 1. inſtitut. moral. lib. 12. cap. 10. quæſt. 6.* ubi ait religioſum promotum ad quodcumque beneficium, ſive ſimplex, ſive curatum, acquirere Eccleſiæ, qualitercumque acquirat; & *quæſt. 7.* id extendit, etiamſi ſit manuale ſubjectum ordini. Conſonat etiam *Emmanuel Sa ſumm. verb. religio numer. 64.* ubi indiſtinctè ait, religioſum beneficiarium acquirere ſuæ Eccleſiæ, & non monaſterio.

72 Sed idemmet *Nav. comm. 4. n. 69. de regul. & Leonard. eodem dub. 11. n. 92.* limitant prædictam ſententiam, ut religioſus habens parochiam, canonicatum, aut aliud beneficium, habentia corpus bonorum ſeparatum ab Eccleſia, acquirat omnia quomodolibet acquirat ſuæ Eccleſiæ, & nil monaſterio: ſi verò beneficium non habeat corpus bonorum ab Eccleſia ſeparatum, ſed ex Eccleſiæ bonis portionem recipiat, tunc ſola ex beneficio acquiſita acquirat Eccleſiæ; aliunde autem comparata acquirat ſuo monaſterio. Atque hoc pacto conciliant contrarias opiniones ſtatim referendas, ut opinio aſſerens hunc religioſum acquirere omnia Eccleſiæ intelligatur in priori caſu, aſſerens autem ſola ex beneficio acquiſita comparare Eccleſiæ, intelligatur in poſteriori.

73 Alii abſolutè docent, religioſum tranſlatum ad beneficium acquirere Eccleſiæ, & non monaſterio. Sic *Abbas* loquens de promoto ad Eccleſiam *c. fin. n. 3. de regular.* & idemmet loquens de promoto ad dignitatem, & ſuperioris nutu amovibili *c. in præſentia, num. 67. de probat. & Cardin.* loquens de beneficio curato *c. quod ante, num. unic. oppoſ. 4. de cleric. conjug. & Navarr. l. 3. conſil. in 1. editione, tit. de reg. conſ. 70. n. 6. in 2. tit. de ſtat. monachor. conſ. 13. n. 6.* ubi ait; ſicut religioſus, cui Pontifex manuale beneficium, & ad nutum amobile contulit, non quærit monaſterio, ſed Eccleſiæ, ita majori ratione idem dicendum de eo, cui ſuus Abbas contulit beneficium; & concludit, *n. 7.* religioſum beneficiarium acquirere ſuæ Eccleſiæ, & tranſlatum ad aliud beneficium acquirere alteri Eccleſiæ. Et idemmet *Nav. lib. 3. conſ. in 1. editione, tit. de donat. conſ. 6. n. 1. in 2. l. 2. tit. de præſumpt. conſ. 2. n. 1. & Manuel qq. regul. t. 2. quæſt. 47. art. 7.* dicunt indiſtinctè acquiſita à religioſo beneficiario acquiri Eccleſiæ: & concludunt *Nav. utrobique numer. ultim. & Manuel eodem art. 7.* hæc bona acquiſita poſt beneficium adeptum, pertinere jure ad ſuccedentem in id beneficium.

74 Alii, etſi fateantur religioſum provectum ad Epiſcopatum, aut Cardinalatum acquirere Eccleſiæ: at id negant de religioſo provecto ad canonicatum, & ſic ad ſimplex beneficium, dicuntque hunc acquirere monaſterio. Sic *Riminaldus junior conſilio 341. à n. 41. & conſilio 342. à num. 28. vol. 3.* latiùs id probans.

75 Alii loquentes de religioſo, cui commiſſum eſt alicujus Eccleſiæ regimen, dicunt acquiſita ex re illius Eccleſiæ vel operis ſuis, eum acquirere illi Eccleſiæ: at acquiſita aliunde, ut donatione, ſucceſſione, acquirere ſuo monaſterio. Sic *Bartolus, leg. 1. §. ſi fructuarius, n. 4. ff. de ſtip. ſerv. Baldus c. in præſentia, n. 16. de probat. Angelus inſtitut. de ſtipulat. ſervor. §. final. num. 1. Romanus, l. ſi ſervus ejus, qui n. 10. ff. de acquir. hæred.*

76 Sed in tanta opinionum varietate, quando ex recepta conſuetudine aliud non conſtat, placet ſic diſtinguere. Si Eccleſiæ illi præfectus religioſus eximeretur integrè ab Abbatis obedientia, acquireret Eccleſiæ undecumque acquiſita, quia cùm nullam tunc habeat communionem cum monaſterio, nil ei acquirit. Si verò manet ſubditus monaſterio, acquirit Eccleſiæ acquiſita ex Eccleſiæ rebus, vel operis ſuis; aliunde verò quæſita acquirit monaſterio, quia Eccleſia videtur ejus uſufructuaria. Sic tradunt *Bartolus, l. ſi ſervus communis*, aliàs, *ſi communis ſervus 27. num. 6. ff. de ſtipulat. ſervor. & l. ſed & ſi quis ſtipuletur, §. interdum, ff. de uſufruct. & Barbat. ibi in addit.* Ancharanus *c. cùm olim el 2. in fine de privil.* & alii, quos refert *Tapia authentic. ingreſſi verb. ſua. c. 6. num. 6. C. de ſacroſanctis Eccleſiis*, & hæc limitat quando manet intra monaſterium: nam ſi extra degat, ſuccedit in ea bona Camera Apoſtolica, juxta motum proprium Gregor. XIII. incipientem *Officii noſtri, &c.* quando autem manet ſubjectus Abbati, & quando non, diximus. Et juxta hanc diſtinctionem approbo ſententiam *Gregorii Lopez l. 36. verb. proprio titul. 7. part. 1.* ubi loquens de Eccleſia parochiali ſic diſtinguit: ſi illa pleno jure pertineat ad religioſos, acquirit religioſus illi præfectus ſuo monaſterio, ſi verò pertineat ad Epiſcopum, quoad omnia acquirit Eccleſiæ, quia in priori caſu manet ſubditus Abbati; in poſteriori autem ab ejus obedientia eximitur, ſi verò monaſterium habeat in ea Eccleſia ſola temporalia, cùm quo ad illa ſubjiciatur Abbati, & quo ad ſola ſpiritualia, Epiſcopo, acquiret monaſterio. Intelligendus eſt autem juxta prædictam *Bartoli* diſtinctionem, ut caſu, quo acquirit monaſterio, ſit verum de acquiſitis aliunde, quam ſuis operis, aut re Eccleſiæ. Quippe hæc ſemper acquirit Eccleſiæ.

77 Tandem, ſi religioſus hic plura habeat beneficia, acquiret cuilibet illorum Eccleſiæ acquiſita ex illorum fructibus ſecundùm fructuum quantitatem, quos ex quolibet beneficio percipit; ut expreſsè videtur ſentire *Bart. l. ſed & ſi quis, §. interdum, ff. de uſufr.* & conferunt *l. ſervus communis*, & *l. proinde, ff. de ſtipulat. ſerv.* quatenus decidunt, ſervum pluribus communem acquirere omnibus pro iis partibus, pro quibus ſunt ejus domini. Atque idem videtur dicendum de iis, quæ religioſus ille ſuis operis, ac induſtria comparat, atque aliunde acquirit, quando ea acquirit Eccleſiæ quia eo plus videtur eſſe miniſter, & uſufructuarius unius Eccleſiæ, quàm alterius, quo majus ſtipendium ex una, quàm ex altera percipit. Et ita hæc omnia tradit *Nav. comm. 2. num. 7. de regularib.*

78 Tertia difficultas eſt, cui acquirat religioſus habens penſionem aliquam eccleſiaſticam ex Pontificis indulto: non enim eſt ſermo de habente peculium ex ſuperioris licentia, ſi illo quicquam acquirat, quia de hoc diximus ſuprà; ſed de religioſo habente penſionem aliquam eccleſiaſticam ex Pontificis indulto, *Emmanuel Sà ſumm. verb. religio, num. 27.* ait hunc acquirere penſionem monaſterio. Sed dicendum eſt cum *Nav. comment. 4. num. 68. de regular.* ei religioſo integrum eſſe, dum ſuperſtes eſt, eam penſionem, & occaſione ejus acquiſita adminiſtrare ob rationes, quas ex ipſo attulimus ſuprà, ad probandum idem de peculio conceſſo religioſis, & ejus occaſione quæſitis. At aliunde quæſita pertinebunt omnino ad monaſterium, & eo mortuo reſidua ex ea penſione, & occaſione ejus acquiſita erunt quoque monaſterii, quia ratione illius non eximitur à Prælati obedientia, & ſolam, dum vivit, adminiſtrationem habet. Nec huic ſententiæ adverſatur quod tradit *Azor. tomo 1. inſtitut. moral. lib. 12. c. 10. quæſt. init.* ubi docet, omnia ſive ex penſione, ſive aliunde acquiſita, ab hoc religioſo, acquiri Pontifici, quia loquitur, quando vivit extra monaſterium exemptus omnino à Prælati obedientia, ac immediatè Pontifici ſubjectus: quod etiam nos *n. 61.* approbavimus.

79 Ultima difficultas eſt, cui acquirat religioſus promotus ad Prioratum monaſterii alterius ordinis. Qua in re ſatis confusè, & variè loquuntur Auctores. Quidam cenſent, religioſum hunc creatum Abbatem in alieno monaſterio, quamvis revocabiliter ad nutum Abbatis, vel alterius ſuperioris, acquirere Prioratui. Sic tradunt *Federic.* quem refert, & ſequitur *Abbas c. in præſentia, num. 67. de probat.* & ibi *Mant. num. 80. Modicen. in ſuis quæſtionibus juridic. quæſt. 77. in fin. Joannes Andreas addit. ad Specul. rubr. de ſtatu monach. verſ. Fileus, Alciat. conſ. 1. num. 24. l. 1. Leonard. lib. 2. de juſtit. c. 41. dub. 1. num. 92.* Quam ſententiam refert *Decius d. c. in præſentia, in nova edit. num. 280.* & tandem dicit aliter ſentire *Bartolum l. ſi ſervus communis, ff. de ſtipulat. ſerv.* Eamdem ſententiam ſequitur *Anton. d. c. in præſentia, num. 65.* cum hac limitatione, ſi Prioratus adminiſtrationem habeat ſeparatam à monaſterio; nam ſi non ſit ſeparata, dicit eum acquirere monaſterio.

80 Alii ſic diſtinguunt: ſi Prioratus eſt de menſa prioris monaſterii, acquirit priori monaſterio; ſi verò ſeparatus, ita ut hic Prior obedientia prioris monaſterii liberetur, acquirit Prioratui: ſi verò non liberatur, & acquirit de rebus Eccleſiæ, acquirit illi. Idem ſi ſunt illi relicta intuitu alicujus; ſi verò aliunde, etiam acquirit Prioratui. Sic *Pariſ. c. in præſentia, num. 183. de probat.*

81 Sed quæſtionem hanc optimè decidunt *Beroius d. c. in præſentia, num. 549.* & ipſum ſequutus *Riminald. junior conſ. 342. num. 39. & 40. volum. 3.* ubi ſic diſtinguunt. Si religioſo illi facto Priori alterius monaſterii, relinquatur aliquid facto Prioratus mentione, vel acquirat aliquid ex re, vel propter rationem dicti Prioratus, acquirit Prioratui; ſecus ſi ſimpliciter aliquid ſibi obveniſſet ex teſtamento, vel ab inteſtato, vel aliunde: tunc enim cenſeretur contemplatione ſuæ perſonæ ſibi relictum, & ideo acquireret monaſterio, in quo profeſſus eſt. Quippe dignitas accidentalis non debet in dubio propriam, & originariam naturam alterare *l. fin. ff. de fund. inſtruct.* & ideo præfertur monaſterium, in cujus poteſtate eſt monachus, alii monaſterio, in quo accidentaliter habet Prioratum.

CAPUT XXXIII.

Cui acquirant religioſi à poteſtate, vel à religione ejecti, ſive tranſierint ad aliam religionem, ſeu ad aliud beneficium eccleſiaſticum, ſive non.

SUMMARIUM.

Quot quæſtiones diſputandæ ſint, num. 1.
Cui acquirant apoſtatæ, & fugitivi à religione, quando ad aliam religionem, aut ad aliud beneficium non tranſiere, numero 2.
An per religioſos apoſtatas, & fugitivos acquiratur bonorum per ipſos acquiſitorum poſſeſſio religioni? num. 3.
Quid ſi hi ſint in partibus remotiſſimis? num. 4.
Quid ſi diu ſint in libertatis poſſeſſione, & quomodo conſtare debeat eos eſſe religioſos? num. 5.
Quid ſi contradicente monaſterio acquirant? num. 6.
Quid ſi monaſterium negligat eos revocare? num. 7.
Quid ſi monaſterium ſit ſuccedendi incapax? num. 8.
Quid circa hæc ſit dicendum attento quodam motu proprio Gregor. XIII. num. 9.
An apoſtatæ, & fugitivi, vel alii, qui minus legitimè tranſiere ad aliam religionem, eo quod non ſervarunt conditiones ad tranſitum licitum petitas, acquirant poſteriori? Refertur quædam ſententia, num. 10.
An illa ſit vera ſententia, quando monaſterium mala fide recepit, & exigatur mala fides Prælati cum conventu? numero 11.
Quid ſi tunc acquirat contemplatione poſterioris monaſterii? numero 12.
Quid ſi monachus fugitivus, & apoſtata poſſideatur bona fide à poſteriori monaſterio putativo? Refertur quædam ſententia, num. 13.
Explicatur ſententia Auctoris à num. 14. uſque ad 18.
An præſumatur legitimus tranſitus ex diuturnitate temporis, quâ religioſus eſt in poſteriori monaſterio? numero decimonono.
Cui acquirat religioſus apoſtata, vel fugitivus, qui tranſit ad Eccleſiam ſæcularem? Refertur duplex ſententia, numero 20.
Explicatur ſententia Auctoris, num. 21.
Poſt num. 21. invenies ſummaria, quæ deſiderantur.

1 DUplex quæſtio agitanda proponitur. Prior de apoſtatis, ſeu fugitivis à religione: poſterior de iis, qui ab ipſa ob propria merita ſunt legitimè expulſi.

2 Quæſtio prior. Cui acquirant apoſtatæ, ſeu fugitivi à religione? Tripliciter ſe poſſunt hi habere. Primò, quando in eodem ſtatu permanent. Secundò, quando mutarunt ſtatum tranſeundo ad aliam religionem. Tertiò, quando mutarunt ſtatum, eo quod ad Epiſcopatum, vel ad aliud beneficium eccleſiaſticum promoti ſunt. Et primò quando in eodem ſtatu permanent, dicemus primùm, quid jure communi ſtatutum ſit: deinde, quid per quendam motum proprium. Et jure communi certum eſt hos acquirere monaſterio: immò poteſt Abbas cum omnibus per ipſos acquiſitis vendicare; quod expreſsè decernitur *c. Abb. 18. quæſt. 2.* ſicut idem contigit in ſervo fugitivo, qui à nullo alio domino poſſidetur *l. 1. §. 2. ff. de acquir. vel amitt. poſſ.* & fatentur omnes DD. allegandi.

3 Immò per eos religioſos apoſtatas, & fugitivos eorum bonorum acquiritur poſſeſſio monaſterio, ſicut patri per filium fugitivum; quia ratio hujus poſſeſſionis acquirendæ eſt ſola poteſtas patris in filios, & Abbatis in religioſos, quæ ratione illius fugæ non ceſſat. Sic *Bart. l. 1. §. per ſervum, qui in fuga, num. 2. ff. de acquir. poſſeſſ. & ibi Imola, num. 30. Alex. num. 9. Jaſon* latè probans *à num. 13. uſque in fin.* ubi alios contrarium tenentes reprobat. *Ant. c. cùm olim el 2. n. 37. de privileg. Cardin. n. 7. verſ. quæro; an poſſeſſio. Innocent. ibi, num. 4. Joan. Andr. n. 7. Hoſtienſis, n. 13.*

4 Quod quidem verum eſt, quamtumcumque in partibus remotis ſit ille apoſtata, quia ratione illius diſtantiæ jus monaſterii nullum detrimentum pati debet. Sic *Abbas c. quod ante, num. 7. de cleric. conjug.* Roſella *in ſumm. verb. religio 4. qu. 10. Tapia auth. ingreſſi verb. ſua c. 7. num. 1. C. de ſacroſ. Eccleſ.*

5 Nec diſtinguendum, an religioſi ii diu ſteterint in poſſeſſione libertatis, an non: quamvis aliqui, quos tacito nomine refert *Antonius* ſtatim allegandus, dicant hoc non acquirere monaſterio, quando diu, id eſt decennio, ſteterunt in libertatis poſſeſſione; ſicut de ſervo deciditur *l. per eum ff. de acquirend. poſſeſſ. §. in fine.* Sed dicendum eſt, nullam temporis moram his religioſis prodeſſe, quin poſſint cum omnibus per eos acquiſitis ab Abbate vendicari: quia text. *d. c. Abbates*, indiſtinctè loquitur. Atque ita docent *Hoſtienſis c. final. n. 3. de regul. & ibi And. n. 2. Anton. n. 6. Card. num. 2. qu. 1. Anchar. n. 10. Ananias, num. 8. Henric. num. 1. Cuman. l. 1. §. per ſervum, qui in fuga, n. 3. ff. de acquir. poſſeſſ. D. Anton. 3. p. tit. 16. c. 5. §. 1. Sylveſter verb. apoſtata, qu. 9. n. 12. Tapia eodem verb. ſua, c. 7. num. 2. Cabed. in decif. Senatus Luſitani 1. p. deciſ. 196. n. 1.* Quod quidem verum eſt, quando conſtat eos religioſos eſſe; quod ſi non conſtet, debet inquiri de plano, & ſine libello, quia dedecet ſervos Dei talibus ſtrepitibus intereſſe. Atque ita docent *Hoſtienſis, Joan. And. Anton. Card. Anchar. Ananias, Henrici ibidem.*

6 Inſuper hoc verum eſt, quamvis religioſi illi apoſtatæ interdicente monaſterio acquirant, quia interdictum monaſterii ſolùm operabitur ut religioſus ille acquirendo peccet; non tamen privabit monaſterium jure illa acquiſita capiendi. Sic *Innoc. c. cùm olim. el 2. n. 3. de privileg. & ibi Anton. n. 35. Hoſtienſis n. 12. Joan. Andr. num. 5. Card. num. 4. verſ. quid ſi vetantur, Anchar. n. 17. Henric. n. 4. Roſella ſumm. verb. religio 1. n. 1.*

7 Sunt tamen hæc duplici limitatione temperanda. Prior eſt, niſi monaſterium negligat eum religioſum apoſtatam repetere, de qua re dicemus.

8 Poſterior limitatio eſt, niſi monaſterium illius apoſtatæ, aut fugitivi ſit incapax ſuccedendi. Tunc enim ſuccedent conſanguinei illius, qui ſunt hæredes ab inteſtato; ſic *Manuel conſ. 493. num. 1. vol. 3.* Sed hoc verum habet, ſi monachus ille inſtitueretur hæres, quod ſit inſtitutionis incapax, & monaſterium ejus nomine. At ſi extra hunc caſum aliquid acquireret, id eſſet monaſterii, quia ſi eſſet in monaſterio, illi ea acquireret, ut diximus ſuprà.

9 Tandem hactenus dicta ſunt vera, ſtando jure communi; nam attento motu proprio Gregor. XIII. incipiente; *Officii noſtri*, regularis apoſtata non acquirit religioni, ſed Cameræ Apoſtolicæ, quæ extra monaſterium, & ſtatum regularem comparat. Sic *Navarr. lib. 3. conſil. in 1. edit. tit. de regul. conſ. 80. num. unic. in 2. tit. de ſtatu monach. conſ. 17. num. unic.* Sed ille motus proprius tantùm dicit ſuccedere in hæc bona poſt mortem hujus religioſi Cameram Apoſtolicam, & loquitur de bonis undecumque obvenientibus, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato, ſive induſtris religioſi parata ſint, ſive quovis alià modo acquiſita.

10 In ſecundo caſu, nempe, quando regularis apoſtata, aut fugitivus mutavit ſtatum tranſiens illegitimè ad aliam religionem, aliqui abſolutè, & indiſtinctè tradunt, eum revocari poſſe ab Abbate ſuo cum omnibus bonis per ipſum acquiſitis: quia cùm illegitimus ſit tranſitus, nullum jus comparat poſterius monaſterium ad ea bona. Sic docent *Hoſtienſ. capit. final. numero 4. de regularib. & ibi Joan. Andr. numero 3. Anton. numer. 8. Abbas numer. 3. Cardin. numer. 2. quæſt. 3. Anchar. num. 10. Ananias num. 8. Henric. num. 2. Nicolaus de Ubaldis de ſucceſſ. ab inteſt. 2. part.* ubi de ſucceſſione regularium *num. ultim. Redoan. de ſpol. eccleſ. quæſt. 8. in princ. num. 77. Petrus de Petrus de mutat. ſtat. Eccleſ. cap. 1. num. 4. D. Anton. 3. par. tit. 16. cap. 4. §. 3. & cap. 5. §. 1. Roſella ſumm. verb. religio. 4. numer. 11. Angel. verb. religioſus num. 44. Sylveſter verb. religio. 4. quæſt. 10. Armill. verb. religio. num. 17. & ibi Tabiena quæſtione 27. numer. 28. Navarr. comment. 4. num. 24. verſic. 11. de regul. Azor. tomo 1. inſtitut. moral. lib. 12. cap. 15. quæſt. 3. Molina tomo 1. de juſtit. diſputat. 144. column. 13. verſic. quando religioſus poſt emiſſam profeſſionem. Manuel. 99. regular. tomo 3. quæſt. 52. art. 27. & tomo 2. quæſt. 79. artic. 2. Cabed. in deciſionib. Senatus Luſitani 1. par. deciſ. 196. numero 1.* Atque idem bene docent *Petrus de Petrus, & Cabed. ibidem*, quamvis non eſſent apoſtatæ, nec fugitivi, ſed minus legitimè tranſiiſſent ad aliud monaſterium, eo quod non ſervaſſent conditiones jure ad tranſitum petitas.

11 At hæc ſententia procul dubio vera eſt, quando mala fide poſſidetur à poſteriori monaſterio, ſciente eum minus legitimè translatum eſſe, quippe tunc nullum jus in ea bona comparat: & ſive monachus æquiparetur filio, ſive ſervo, nullatenus monaſterium acquirit hujuſmodi bona, quia nec ſervus acquirit poſſeſſori malæ fidei *l. 1. §. ſed & per eum ff. de acquir. poſſeſſ.* nec etiam filius *l. per eum, in pric. ff. eodem tit.* & ita fatentur omnes DD. allegandi. Sed *Rom. l. ſi ſervus ejus, qui num. 12. ff. de acquir. hæred.* petit ſud dubio, ac cogitandum relinquens, ut interveniat mala fides Prælati cum conventu, quaſi mala ſolius Prælati fides nequeat in hoc caſu præjudicare juris hujus poſterioris monaſterii. At meritò reprobat *Tapia authent. ingreſſi verb. ſua cap. 6. num. 20. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* quod hic agitur de bonis quærendis à poſteriori monaſterio ex perſona hujus religioſi. At in bonis quærendis ſolus Prælatus poteſt præjudicare.

12 Eſt tamen limitanda hæc ſententia, niſi religioſus hic contemplatione poſterioris monaſterii aliquid acquiſiſſet; id enim in illius utilitatem monaſterii cederet. *arg. ex c. requiſiti, de teſtam.* & ita docent *Barth. Socinus l. 1. §. per ſervum, qui eſt in fuga, num. 8. ff. de acquir. poſſeſſ. Tap. eodem verb. ſua cap. 6. num. 20.*

13 At difficultas eſt, quando bona fide monachus hic fugitivus, & apoſtata poſſidetur à poſteriori monaſterio. Nam DD. quos retulimus *numero* 10. videntur ſentire, hunc acquirere priori monaſterio, cùm indiſtinctè loquantur; & in propriis terminis tradunt *Alexander lib. 1. §. per ſervum, qui eſt in fuga numero 14. ff. de acquirend. poſſeſſ. Imola, & Paulus*, ut eos refert *Tapia dict. verb. ſua capit. 6. num. 21.* Idque probant, quia monachus æquiparatur filio, vel ſervo, prout monaſterio fuerit utilis, ut diximus ſuprà. Sed in hoc eventu eſt utilius monaſterio priori, ut comparetur filio, qui quidem ſemper vero patri acquirit *l. per eum ff. de acquir. poſſeſſ.* Ergo religioſus hic æquiparatus filio acquiret priori vero ſuo monaſterio, non autem poſteriori putativo. Secundò, quia monachus cum liber ſit, non poſſidetur inſtar ſervi à Domino putativo poſſeſſi: ſed monaſterium eſt in quaſi poſſeſſione monaſticæ poteſtatis, quam quidem non habet monaſterium putativum, ſed verum. Ergo non illi, ſed huic acquirit.

14 Cæterùm in contraria opinione, & meritò ſunt *Bartol. leg. ſi ſervus communis*, aliàs, *ſi communis ſervus, 37. numer. ultimo ff. de ſtipulation. ſervor. Romanus leg. ſi ſervus ejus, qui numero 12. ff. de acquir. hæredit. Berojus capit. in præſentia numero 549. de prrbat.* ubi aſſerunt religioſum hunc acquirere monaſterio poſteriori bona fide poſſidenti eodem modo, quo ſervus acquirit domino putativo bona fide poſſidenti.

15 Et ideo ſic diſtinguendum eſt: ſi religioſus hic acquirat ex ſolis monaſterii putativi rebus, vel ex illis ſimul cum operis ſuis, acquirit monaſterio putativo, quia in actu acquiſitionis magis æquiparatur religioſus ſervo, quàm filio; ille enim omnia acquirit domino, ſicut & religioſus monaſterio: hic autem non omnia acquirit patri *leg. cùm portet. & leg. final. Cod. de bon. quæ lib.* At ſervus bona fide poſſeſſus ab aliquo illi acquirit, & non vero domino, quæ ex ſolis rebus domini putativi, vel ex illis cum operis ſuis acquirit *leg. homo liber. §. quidquid & & leg. ſi ſervus, qui bona fide ff. de acquir. rer. dominio.* Ergo idem dicendum eſt de religioſo. Nec obſtant contraria adducta *num. 13.* Nam ad priùs reſpondetur, cùm id ſit monaſterii privilegium, non integrum eſſe vero monaſterio uti illo in præjudicium poſterioris putativi; ſed ſi prius velit æquiparari filio, quia eſt ſibi utiliùs, poſterius volet, ut æquiparetur ſervo, eo quod id in majorem utilitatem ſuam cedat. Quare privilegia, utpote quæ æqualia ſunt, confundentur ad invicem *leg. ſed & milites ff. de excuſat. tutor.* Ad poſterius autem reſpondetur, monaſterium putativum acquirere ratione monaſticæ poteſtatis putativæ, ſicut verum ratione veræ poteſtatis. Atque ita tradunt *Joannes Andr. addition. ad Speculat. rubr. de ſtat. monachor. verſ. Pileus. Bartol. Socinus dict. l. 1. §. per ſervum, qui eſt in fuga numer. 12.* licèt in fine cogitandum relinquat. *Aretinus aedem l. 1. §. item acquirimus numero 55. Navarr. comment. 2. numero 30. de regularib.* & alii, quos refert, & ſequitur *Tapia dict. verb. ſua capit. 6. num. 22.*

16 Aut religioſus hic putativus acquirit ex ſolis operis ſuis, & tunc *Joannes Andr. relatus numero præcedentis* aſſerit hunc acquirere vero monaſterio *argument. leg. per ſervum ff. de uſu, & habitat.* Sed contrarium tenet dicens acquirere monaſterio putativo, *Aretinus allegatus numero præcedenti* quia *illa leg. per ſervum* loquitur in uſuario, & non in uſufructuario, cui videtur æquiparari bonæ fidei poſſeſſor. Idem videtur tenere *Navarr. allegat. eodem numero præcedenti* loquitur enim disjunctivè de acquiſitis ex hujus monachi operis, vel ex rebus monaſterii. Idem tenet *Azor. tomo 1. inſtitut. moral. libr. 12. cap. 10. quæſt. 1.* Verum *Bartolus Socinus num. præcedenti allegatus* defendit priorem *Joannes Andreæ* ſententiam, quamvis tandem cogitandum relinquat, quæ meo judicio verior eſt. Et ideo dicendum eſt, hunc religioſum ſolis ſuis operis acquirentem acquirere voto monaſterio: quia ratio illius textus *leg. per ſervum*, ob quam uſuarius non acquirit quæſita ex ſolis operis ſervi, eſt, quod illius operas locare nequeat. Quæ quidem procedit in monacho, cùm monaſterium nequeat ejus operas locare: & ideo potiùs comparandus eſt uſuario, quam uſufructuario ſervi.

17 Quandò autem monachus hic putativus acquirit aliunde quàm ex rebus monaſterii, aut operis ſuis, ut ſucceſſione, donatione, &c. fatentur omnes eum acquirere vero monaſterio, ut ſentiunt *Barth. Socinus numer. 14. Navarr. & Azor. allegati num. præcedent. Tapia eodem verb. ſua cap. 6. num. 23.*

18 Quod ſi dubitetur, an ex re monaſterii, vel aliunde quæſierit, *Bart. l. cùm fundus, §. ſervum, ff. ſi certum petat.* cogitandum relinquit, ubi DD. ſatis varii ſunt; ut poteſt videri apud *Alexand. eod. §. ſervum num. ult.* Sed breviter dicendum eſt cum *Roman. eod. §. ſervum nu. 14.* præſumendum eſſe in dubio ex re poſterioris monaſterii putativi acquiri: quod idem ſequitur *Mandoſ. in addit. ad Lap. Allegat. 61. ad fin. verb. præſumendum Tap. eod. verſ. ſua cap. 6. n. 23.* Quod quidem temperant *Roman. ibi, & Tapia nu. 24.* dupliciter. Prius eſt, quando monachus receſſit, & emit rem aliquam, quia tunc præſumitur ex bonis monaſterii res empta: quod bene ait *Tapia* intelligendum, quando brevi tempore extitiſſet in poſteriori monaſterio; ſecus quando longo. Poſterius, quando ſecundum monaſterium erat indigens, quia tunc, aut ex re primi monaſterii, aut ex propria acquiſitum præſumitur.

19 Supereſt explicandum, an præſumatur tranſitus legitimus, quando hic monachus ſtetit in poſteriori monaſterio viginti, vel triginta annis, ſciente priori, nec contradicente, ut vel ſic acquirat poſteriori, *Berojus capit. in præſentia numero 564. de probation.* negat: quia etſi ex ea temporis diuturnitate præſumatur licentia tranſeundi, non tamen præſumitur juſta tranſitus cauſa, cùm tamen utrumque deſideretur *capit. licet, de regular.* At meritò contrarium latiſſimè tenet *Barthol. Socinus l. 1. §. per ſervum, qui in fuga, in fine ff. de acquirend. poſſeſſion.* quamvis fatetur ſe olim ſæpius contrarium conſuluiſſe. Idem tenet *Tiraquellus* referens duplex ejuſdem *Barthol. Socinus conſilium tractat. de præſcriptionib. §. 1. gloſ. 4. numero 33. verſic. 41.* quia ex temporis diuturnitate præſumitur res legitimè facta.

20 Tandem reſtat explicandum, quando hic monachus apoſtata, & fugitivus mutavit ſtatum tranſeundo ad Eccleſiam ſæcularem. Qua in re communiter Doctores ſic diſtinguunt; ſi religioſus hic acquirat intuitu Eccleſiæ, acquiſita cedunt Eccleſiæ, *capit. cùm officiis, de teſtament.* ſi verò intuitu perſonæ, cedunt monaſterio, quia cùm non ſit legitimè promotus ad Eccleſiam ſæcularem, manet religioſus ſui monaſterii. Quod ſi dubitetur, cujus intuitu acquiſierit, ſtandum eſt conjecturis traditis *capit. requiſit. de teſtament.* ut ſi acquiſierit à propinquo, cenſeatur ratione perſonæ acquirere: ſi verò ab extraneo, ratione Eccleſiæ. Sic tradunt *Joannes Andr. capit. final. numero 3. de regular. & ibi Anton. numero 7. Abbas numero 3. Ancharanus in fin. Henricus numero 2. Ananias numero 8. Divus Anton. 3. part. titul. 16. capit. 5. §. 1. Tabiena verb. religio, quæſt. 27. numero 28. & ibi Armilla numero 17. Azor. tomo inſtitut. moral. libr. 12. capit. 16. quæſt. 8.* Sed *Card. eodem capit. final. numrro 2. quæſt. 2.* reprobata hac diſtinctione, ſuſtinet indiſtinctè religioſum hunc acquirere Eccleſiæ.

21 Cæterùm dicendum eſt, attento jure communi, priorem opinionem eſſe veram: at attento motu proprio Gregor. XIII. quem *num. 9.* retulimus, dicendum eſt, poſt mortem hujus religioſi ſuccedere in omnia ea bona quomodocumque acquiſita, cùm extra monaſterium parta ſunt, Cameram Apoſtolicam, intelligendo, quando extra monaſterium obiret.

SUMMARIUM.

Quando monachus ejicitur injuſtè, aut injuſtè non admittitur poſt fugam, aut ejectionem, cui acquirat, ſi ſolus Prælatus in hoc delinquat, num. 22.
Quid ſi delinquat Prælatus cum conventu? Proponitur quædam ſententia, num. 23.
Explicatur ſententia auctoris, & an reddenda ſint ei bona antea monaſterio acquiſita? num. 24.
Quando ejectio eſt juſta, cui acquirat. Proponitur quædam ſententia, num. 25.
Explicatur ſententia auctoris? num. 26.
Ad quam pertineant bona per hujuſmodi ejectos acquiſita? Refertur quædam ſententia, num. 27.
Explicatur ſententia auctoris, num. 28.
Quid ſi ad aliam religionem tranſeat? num. 29.
Quid ſi ad aliam Eccleſiam, vel beneficium? num. 30.
Quid dicendum ſit, attento quodam motu proprio Gregorii XIII. num. 31.

22 QUæſtio poſterior. Cui acquirant ejecti à religione. Qua in re declarabimus priùs, quid jure communi inductum ſit, deinde, quid attento noviſſimo quodam motu proprio Gregorius XIII. & cum ejectio poſſit eſſe injuſta, & juſta, de utraque ſeorſum agendum eſt. primò quidem, quando ejectio eſt injuſta, quia vel religioſus injuſtè ejectus eſt, vel fuerit fugitivus, aut apoſtata, aut juſtè ejectus, & correctis jam moribus, petat admitti, ſitque caſus, quo monaſterium teneatur eum admittere; communiter tradunt Doctores eum acquirere monaſterio, quando culpa ejectionis, aut non admiſſionis eſt in ſolo Prælato, aut in illo cum minori conventus parte, quia delictum perſonæ Prælati non debet in Eccleſiam redundare *regul. delictum 76. de regulis juris in 6.* nec etiam delictum Prælati cum minori parte conventus, ut bene notat. *Dynus in regul. delictum in fin.* quia conventus non eſt niſi in majori parte. Præterea, quia compelli poteſt monaſterium, ut admittat, eique alimenta præſtet; quia hic agitur de jure acquiſito ad bona ex parte religioſi legitimè profeſſi amittendo. Et ideo hanc partem ſuſtinent *Speculat. titul. de ſtat. monachor. §. unico numero 47. quæſt. 41. Archidiac. capit. Abbates, in fine 18. quæſt. 2. & ibi Bellamer. el fine verſic. in gloſſ. ibi, recipere, & capit. quando numero 11. de offic. ordin. Abbas capit. ſicut nobis, ad fin. de regular. & capit. unico in fin. de infant. & lang. expoſit. ubi Anton. numer. 5. Card. numer. 3. Ancharan. numer. 7. Joannes Andreas numer. 7.* & quatuor ſupradicti limitant, allegato Gofredo dummodo tranſierit ad aliud monaſterium; nam ſi non tranſit, acquirit adhuc primo. Sed non placet limitatio,

ſtatio. Vide Imola Clement. 1. numer. 39. de ſtatu monachor. & ibi Card. §. at verò numero 114. quæſtione 11. Henricus capit. final. numero 2. de regular. Ancharanus conſil. 352. numero 4. Divus Anton. 3. part. titul. 16. capit. 5. §. 4. Angel. in ſumm. verb. monaſterium numer. 6. Sylveſt. verb. apoſtaſia quæſtione 9. numer. 12. Tabiena verb. religio quæſt. 27. numer. 28. & ibi Armilla numer. 17. Surdus de aliment. titul. 7. quæſt. 35. num. 9. Tapia authentica ingreſſi verb. ſua capit. 6. numero 50. Humad. libr. 31. gloſſ. 2. in fin. titul. 7. part. 1. Molina tomo 1. de juſtit. diſp. 140. col. penult. verſ. quoad votum. Leonard. lib. 2. de juſt. cap. 41. dub. 15. num. 112.

23 Quando autem conventus etiam in hoc delinquit nomine autem conventus intelligitur major pars, ut benè tradunt Angel. Sylveſt. Tabiena, Armilla, Molina, Leonard. numero præcedenti allegati, & Cardin. capit. unico numer. 3. de infant. & lang. expoſitis ubi Anton. numer. 5. nec contradicit Divus Antonius ibidem citatus, petens tutius conventus culpam, quia in rebus à conventu expediendis, quod major pars efficit, dicitur totus conventus efficere, ut conſtat ex toto titulo de his ſiunt à majori parte capit. frequentiſſima Doctorum ſententia aſſerit, religioſum hunc minimè acquirere monaſterio; & apertè videntur intelligere nullam deſiderari Judicis ſententiam, qua privetur monaſterium his bonis, quia ei innituntur rationi, quod monachus hic habetur pro derelicto, ac proinde monaſterio derelinquenti non acquirat. Sicut nec ſervus à domino relictus acquirit illi, leg. quod ſervus 36. ff. de ſtipulationibus ſervorum quod ſervus ſtipulatus eſt, quem dominus pro derelicto habebat, nullius eſt momenti. Quia qui pro derelicta rem habet, omni modo à ſe rejicit, nec poteſt ejus operis uti, quam meritò jure ad ſe pertinere noluit. At ne ſervus hic domino acquirat, nulla exigitur Judicis ſententia, ut ex prædictis textus verbis conſtat. Sic Gloſſa capit. Abbates verb. quæ acquiſierit 18. quæſt. 2. & capit. unic. verb. languidis de infant. & lang. expoſ. & capit. ſicut nobis verb. ſcientibus, de reg. Gofred. ſumm. tit. de apoſt. numer. 10. & Hoſtienſis ſumm. eodem titul. numer. 4. Barthol. Socinus libr. 1. §. per ſervum, qui eſt in fuga numero 6. ff. de acquirend. poſſeſſion. Cardin. capit. quod à te numero unico oppoſition. 4. de cleric. conjugat. Ananias capit. ſicut nobis, in fin. de regular. Nicolaus de Ubaldis de ſucceſſion. ab inteſtat. 2. part. ubi de ſucceſſione regularium, num. ultim. Redoan. de ſpol. eccleſ. quæſt. 8. in princip. num. 76. & 77. Speculat. Archidiac. Bellamera utroque loco, Abbas utroque loco, Ananias, Ancharan. Henric. Divus Anton. Angel. Sylveſt. Tabiena, Armill. Surd. Tap. Humad. num. præcedent. allegat.

24 Cæterum, quamvis hæc ſententia frequentiſſima ſit, exiſtimo probabilius eſſe exigi ſententiam Judicis, quæ monaſterium his bonis privet. Ducor, quod longè diverſa ratio ſit de hoc monaſterio, ac de ſervo à domino derelicto; quia hic veram libertatem acquirit, eo quod dominus illam poterat concedere, ac ſervum derelinquens videatur in hac derelinquendi voluntate eſſe: at religioſus injuſtè expulſus, aut injuſtè non admiſſus, non evadit liber; monaſterium enim non poteſt eum à votis abſolvere, nec monaſterium manet liberum ab obligatione hujus religioſi admittendi, illique alimenta ſuppeditandi. Quare in ſolam delicti pœnam bonis ab hujuſmodi religioſo acquiſitis privatur. Ergo ſententia Judicis ad eam pœnam ſubeundam. Præterea, quia etiam bona ratione hujus religioſi jam acquiſita tenetur monaſterium ei reddere, ut docent Baldum, quem refert, & ſequitur Surdus de alimentis, titul. 7. quæſt. 35. numero 10. Joannes Lupus capit. per veſtras notabil. 3. in principio numero 4. de donation. inter virum & uxorem Franciſcus Lucan. tractat. de fiſco, ubi de publicatione bonorum, numero 10. (habetur tom. 12. tractat.) At apertè conſtat, bona hujuſmodi acquiſita non teneri monaſterium reddere, donec condemnetur. Et ideo hanc partem ſuſtinet Molina tomo 1. de juſtitia diſputat. 140. column. penult. verſ. quoad votum, Leonardus libro 2. de juſtitia capit. 41. dub. 15. num. 112.

25 Supereſt difficultas, quando ejectio fuit juſta, ut quando religioſus juſta monaſterii ſententia ob propria delicta ejectus eſt. Quidam exiſtimant eum acquirere monaſterio. Ducuntur, quod monaſterium jure acquiſito per profeſſionem ad omnia bona in poſterum à religioſo acquirenda, privari non debeat ob religioſi delicta, juſtamque ejus à religione expulſionem; & ita ſuſtinent Molina, & Leonardus numero præcedenti allegati, & Gofredus relatus ab Abbate capit. unico ad finem de infant. & languid. expoſ. Cum hac limitatione, dummodo ea bona acquiſita ſint antequam religioſus ille ad aliam religionem tranſierit.

26 Sed multò verius eſt, hunc religioſum non acquiſitum in poſterum monaſterio, quia jam amplius nullam cum illo communionem habet, juſque ad monaſterium acquiſitum in bona in poſterum acquirenda fuit, dum monachus in eo monaſterio permaneret: ſecus de acquiſitis poſt legitimum egreſſum. Atque ita docent Gloſſa capit. unico verb. languidis de infantibus, & languid. expoſ. & ibi Abbas ad finem Innocentius capit. cum olim, el 2. numero 3. de privileg. & ibi Anton. nnmero 36. Hoſtienſis num. 12. Joannes Andreas num. 5. Card. num. 4. verſ. quid ſi eſt expulſus Ancharan. num. 17. Henricus numer. 5. Bellamera cap. quanto, numer. 11. de offic. ordin. & cap. Abbates, ad fin. verſ. in gloſſ. ibi, recipere 19. quæſt. 2. Roſella in ſumm. verb. religio 1. num. 1. Navar. comm. 2. num. 33. de regul. Azor. tom. 1. inſtitut. moral. lib. 12. cap. 15. quæſt. 9.

27 Rurſus inter hos auctores difficultas eſt, cui religioſus hic acquirat. Innocentius Bellamera eo capit. Abbates, Hoſtienſ. Joannes Andreas Cardinalis, Henricus Roſella numero præcedenti allegati dicunt hunc nulli acquirere. Sed hoc nullo modo placet, quia cum ejuſmodi bona non habeantur pro derelictis, debent in alicujus dominio eſſe, aliàs primo occupanti concederentur: & ideò ipſimet ſubdunt poſſe dici hunc religioſum Epiſcopo acquirere, atque ideò illum ſuccedere in ejus bona poſt mortem, quia incidit poſt expulſionem in Epiſcopi obedientiam. Idemque ſuſtinent Anton. cap. cum olim, el 2. numer. 36. de privileg. & ibi Ancharanus numero 17. Bellamera capit. quanto numero 11. de offic. ordinar. Angelus verb. monaſterium numero 6. Sylveſter verb. apoſtaſia quæſt. 9. numero 12. Tabiena ibi quæſt. 15. numero 18. & verb. religio quæſt. 27. numer. 28. ubi Armilla numer. 17. Navarr. comment. 2. numer. 33. de regularib. Limitant. Hoſtienſis, Joann. Andr. Card. Ancharan. Henric. niſi Epiſcopus contra hunc religioſum procedens, eum curiæ ſæculari expoſuiſſet. Sylveſter etiam limitat, ſi religioſus hic non eſſet exemptus, nam ſi exemptus eſſet, aſſerit eum acquirere priori monaſterio.

28 Sed verius eſt bona hujuſmodi religioſi pertinere ad Pontificem, vel Eccleſiam, vel Epiſcopum, inſtar bonorum, quæ vacantia dicuntur: quia nulla poſſunt eſſe bona, quorum dominium, vel ejus adminiſtrationis non ſit apud aliquem hominem, vel congregationem. Unde ſicut bona abſque hærede decedentis reputantur tamquam vacantia, & ideò ad Principem, vel Rempub. deveniunt: ſic acquiſita à Religioſo hoc juſtè ejecto pertinent ad ipſum quoad uſumfructum; at verò quoad jus adminiſtrationis ad Pontificem, qui eſt ſupremus Princeps, vel ad Epiſcopum, in cujus diœceſi eſt, ac proinde in ejus cura, & poteſtate vivit, & ideò eo religioſo defuncto, ille uſus conſolidatur cum jure adminiſtrationis, & plenè ea bona pertinent ad Pontificem, vel Eccleſiam, vel Epiſcopum. Et ideo hanc ſententiam tenent Sayro in clavi regia lib. 6. cap. 9. num. 28. Azor. tom. 1. inſtitut. moral. lib. 12. cap. 16. quæſt. 9.

29 Quod quidem intelligendum eſt de bonis acquiſitis, antequam religioſus hic ejectus ad religionem aliam legitimè tranſierit; nam ſi in alia religione poſtea legitimè profeſſus fuerit, illi acquirit: cum enim legitimè ſit profeſſus, tranſeunt cum illo bona. Sic Angelus verb. monaſterium numero 6, Sylveſter ſumma, verb. apoſtaſia, quæſt. 9. numer. 12. & ibi Tabiena quæſtion. 15. numero 18. & verb. religio quæſt. 27. numero 28. ubi Armilla numer. 17. Tapia authentica ingreſſi verb. ſua capitulo 6. num. 45. Cod. de ſacroſanct. Eccleſ. Azor. tom. 1. inſtitut. moral. libr. 12. capit. 16. quæſt. 9. Et acquiſitis ante hujuſmodi profeſſionem fruentur id monaſterium, dum religioſus hic ſuperſtes fuerit, ſicut ipſe frui debebat, at eo defuncto, ea pertinebunt ad Cameram Apoſtolicam, aut Epiſcopum, ut diximus numer. præcedenti Quia illi juri per ipſos quæſito non derogat profeſſio ſequens, nec poteſt plus juris ad monaſterium transferre, quam ipſe in ea bona habebat. Quod ſi hoc poſterius monaſterium fuerit ſuccedendi incapax, non explicant ibi DD. ad quem pertineant bona poſt profeſſionem acquiſita. Sed in hoc dicendum eſt, ut diximus de quibuſcumque bonis acquiſitis à profeſſis in monaſterio incapaci, quia eadem ratio eſt.

30 Similiter ſi hic ejectus tranſierit legitimè ad aliam Eccleſiam, aliudve beneficium, acquiret illi, ſicut de aliis religioſis diximus cap. 32. numer. 62. & 76. & ita docet Tabiena verb. religio quæſt. 27. num. 28. Armilla & Azor. allegati numer. præcedenti Leonardus libr. 2. de juſtit. capit. 41. dub. 15. num. 112.

31 Tandem hæc vera ſunt attento jure antiquo; nam attento motu proprio Gregorii XIII. quem explicuimus numero 21. dicendum eſt, omnia per hujuſmodi religioſum undecumque acquiſita pertinere ad Cameram Apoſtolicam poſt ejus obitum, ſi extra religionem decedat. Quare ſi intra aliam obeat, dicendum erit idem quod numero 29. diximus.

CA-

CAPUT XXXIV.

Cui acquirant converſi, & oblati, ac fratres Xenodochii Joannis de Deo, ac verè profeſſi, dolo tamen Abbatis ad profitendum inducti.

SUMMARIUM.

Cui acquirant converſi, & oblati, ac fratres Xenodochii Joannis de Deo, num. 1.

Cui acquirant veri profeſſi, dolo tamen Abbatis ad profitendum inducti. Refertur textus anſam difficultatis præbens, & proponitur ſententia auctoris? num. 2.

An exigatur, ut dolus ille cauſam contractui det? numero 3.

An exigatur, ut decipiens ducatur avaritia acquirendi bona? num. 4.

An exigatur, ut is dolus procedat ab Abbate cum conſenſu Capituli? Refertur quædam ſententia? num. 5.

Explicatur ſententia auctoris? num. 6.

An ſufficiat dolus ab aliis monachis procedens? numero ſeptimo.

An ſufficiat, ſi Abbas doli conſcius admittat profeſſionem, vel ſi quando poſt profeſſionem eſt doli conſcius? numero octavo.

An oriatur ſiniſtra fraudis ſuſpicio ex juramento adhibito in ingreſſu cum bonorum oblatione? num. 9.

An hoc profeſſo inſtituto in ſæculo cum conditione, ut ſi abſque liberis decedat, reſtituat cuidam ſubſtituto, profeſſio hæc excludat ſubſtitutum? num. 10.

Quomodo textus hic obliget, cum ſit ex Concilio provinciali deſumptus? num. 11.

An excluſo hæc monaſterii à ſucceſſione in bona monachi dolo inducti, habeat locum in foro conſcientiæ? numero decimoſecundo.

1 DE converſis, & oblatis breviter dico, converſos, qui verè profeſſi ſunt, acquirere religioni, ſicut acquirunt cæteri profeſſi choro deputati. Quod benè docet Tapia authentica ingreſſi, verbo ſua capit. decimo numero octavo At verò oblati, qui non profitendo ſe, & ſua dedicant Eccleſiæ ſæculari, aut regulari, cum proprii capaces ſint, nec ex ea ſimplici bonorum dedicatione comprehendantur bona futura, ut relato Abbate tradit Tapia eo capit. decimo numero decimoquarto acquirunt ſibi, & in eorum bona legitimi eorum hæredes ſuccedunt. Atque idem dicendum eſſet de fratribus Xenodochii Joannis de Deo, antequam eſſent veri religioſi: jam verò poſt conſtitutionem Pauli V. quam retulimus capit. 8. numero 44. in qua declarat eos eſſe veros religioſos, idem dicendum eſt de illis, quod de aliis religioſis in ſuperioribus diximus.

2 Circa legitimè autem profeſſos, at dolo Abbatis, non tamen ſufficienti ad profeſſionem irritandam, inductos, eſt ſpecialis difficultas (nam quando profeſſio non fuit valida, ſatis dictum eſt ſupra) & dubitandi anſam præbet textus capit. fin. vigeſimo quæſt. tertia qui eiſdem prorſus verbis habetur etiam capit. penultimo decimoſexto quæſt. ſeptima eſtque deſumptus ex Concilio Moguntinenſi, ubi hæc verba habetur. Conſtituit ſanè ſacer iſte conventus, ut Epiſcopi, ſive Abbates, qui non in fructum animarum, ſed in avaritiam, & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines circumveniendo totonderunt, & res eorum tali perſuaſione ſurripuerunt, pœnitentia canonica, utpote turpis lucri ſectatores, ſubjaceant. Hi verò, qui electi comam depoſuerunt, in eo quod cœperunt, perſeverare cogantur: res verò eorum hæredibus reddantur. Ratioque hujus deciſionis eſt, quod bonorum oblatio ex profeſſione conſurgens ſapiat naturam contractus bonæ fidei; omnes enim contractus de jure canonico ſunt bonæ fidei, teſte Bartolo libr. primo Codice de plus petition. & in his dolus dans cauſam contractui, vitiat illum ipſo jure, ut notant ſcribentes leg. & eleganter ff. de dol. Quam rationem tradunt Archidiac. capit. fin. numero primo & tertio vigeſimo quæſt. tertia & ibi Bellamera ſtatim in principio Berojus capit. in præſentia numer. centeſimoquinto de probation. & Tapia authent. ingreſſi verb. ſua capit. undecimo numero decimoſeſto.

3 Aliquot tamen conditiones deſiderantur, ut deciſioni hujus textus ſit locus, nec ſuccedat monaſterium in ea bona. Prima eſt, ut is dolus cauſam ingreſsui dederit, ita ut eo ceſſante, ille ingreſsus non ſequeretur. Conſtat ex ratione tradita numero præcedenti & quia dolus non dans cauſam contractui, illum non irritat. Et ita docent Archidiacon. eo capit. final. numero ſecundo in fin. & ibi Bellamera ſtatim in principio Berojus eodem capit. in præſentia, num. 103.

4 Secunda conditio eſt, ut decipiens comparandi bona intuitu ductus fuerit, ſecus ſi intuitu familiaritatis, quam cum ingreſsuro habebat, ut aliarum dotium, quibus præditus erat, duceretur. Conſtat ex textus dict. capit. fin. ibi; ſed in avaritiam, & turpe lucrum inhiantes, & ſic ſentiunt Jaſon authentica ingreſſi, numero primo Codice de ſacroſanct. Eccleſ. dicens huic textui eſse locum, quando ob magnas ingreſsuri facultates decipiens duceretur; & Aretinus dict. cap. in præſentia numero decimotertio dicens, quando avaritia fuit cauſa decipiendi, & Navarr. comment. ſecundo numero trenteſimoprimo de regularib. & Azor. tomo primo inſtitut. moral. libro duodecimo capit. vigeſimo quæſt. prima in fin. & Tapia ea authent. ingreſſi, verb. ſua capit. undecimo in fin. ubi dicunt, quando deceptio fuit cauſa acquirendi bona. Immo Tapia dicit exigi, ut ſolus hic animus adfuerit, quod non admitto; ſed credo ſufficere hunc animum, ſi eſset hic principalis finis, quamvis alii quoque accederent; ſecus ſi non eſset principalis finis; ſed acceſsorius, quia ex fine principali eſt res dijudicanda.

5 Tertia conditio eſt, ut ſi is dolus non à ſolo Abbate proceſſerit, ſed ab ipſo cum majoris partis conventus conſenſu: quia cum non ſit ſolus Abbatis ad profeſſionem admittere, ſed cum majori parte conventus, dolus ſolius Abbatis non debet conventui in hac acquiſitione obeſſe. Item, quia capit. præcedenti numero 22. diximus, ſolam expulſionem injuſtam monachi à Prælato factam, non obeſſe monaſterio, quominus acquirat per monachum illum, quia delictum perſonæ non debet Eccleſiæ nocere. Quæ ratio militat quoque in hoc caſu. Sic tradunt Berojus conſil. 28. numero 11. volume 1. Lælius Zecchius de Repub. Eccleſ. titul. de regular. capit. 3. numero 14. limitat. 1. Tapia eadem authentica ingreſſi verb. ſua capit. 11. numero 20.

6 Cœterum hanc conditionem non approbo, ſed exiſtimo ſufficere dolum ſolius Abbatis, tum quia textus dict. capit. fin. de ſolo Abbatis dolo loquitur: tum etiam, quia hic non agitur de bonis jam monaſterio quæſitis, ut quando expellitur profeſſus à ſolo Abbate; tunc enim agitur de jure quæſito à monaſterio ad omnia bona in poſterum per religioſum illum acquirenda, ſed agitur de bonis acquirendis, in quibus ſolus Prælatus poteſt Eccleſiæ præjudicare. Et ita hanc partem ſuſtinent Decius dict. cap. in præſentia, in nova edit. numer. trigeſimotertio & ibi Felinus numero nono dicens fortè ita eſſe, Berojus numero 110. Ferret. multo alios allegans numero vigeſimoſecundo & vigeſimotertio Navarr. comment. ſecundo numero trigeſimoprimo de regul. Azor. tomo primo inſtitut. moral. lib. 12. cap. 10. quæſt. 1. in fine.

7 Immò Berojus eo capit. in præſentia numero 109. ait aliquando ſe in ea ſententia fuiſſe, ut ſufficeret dolus cujuſcumque religioſi. Sed jure optimo dicit jam placere, non ſat eſſe dolum multorum monachorum carentium mandato Abbatis: & idem tenet Felinus eo capit. in præſentia numero 9. quia textus dict. capit. final. apertè petit dolum Abbatis, aut Epiſcopi, cui religioſi ſubduntur, quoniam cum illi adminiſtrationem non habeant, non cenſetur cum eis contrahi, & ſic ipſorum dolus reputatur quaſi dolus cujuſdam tertii, qui valori contractus non obſtat leg. eleganter ff. de dolo.

8 Sufficit tamen ſi Abbas ejus doli conſcius admittat ad profeſſionem ſic inductum, vel eam profeſſionem à non potente admittere, admiſſam habeat ratam: ſecus quando poſt legitimam profeſſionem eſt doli conſcius. Quia in priori eventu eſt, quaſi ipſe decepiſſet: ſecus in poſteriori. Sic Berojus eodem capit. in præſentia numero 111. & 112.

9 Non tamen oritur ſiniſtra fraudis ſuſpicio ex juramento adhibito in ingreſsu cum bonorum oblatione. Sic Decius eo capit. in præſentia in nova edition. numer. 34. & ibi Aretinus numer. 13. Felinus numer. 9. Sed hoc intelligendum eſt, quando motu proprio, & animi impulſu id juramentum præſtitum eſt: ſecùs ſi Abbatis ſuaſionibus. Sic Berojus eo cap. in præſentia, num. 100.

10 Hinc deducitur, hac profeſſione dolo Abbatis extorta non excludi ſubſtitutum, ſi hic profeſsus in ſæculo inſtitutus fuerat ſub conditione, ut decedens abſque liberis reſtituat hæreditatem. Quia cùm excluſio ſubſtituti per profeſſionem ſit in monaſterii favorem inducta, ut illud ſuccedat, non habebit locum in hoc caſu, cum ea bona non ad monaſterium, ſed ad hæredes ab inteſtato illius monachi pertineant. Sic Sfortias Oddo de compendioſ. ſubſtitut. part. ſeſta quæſt. ſecunda articul. ſeſto dub. ſecundo numero undecimo Peregrinus de fideicomiſ. articul. vigeſimooctavo numero ultimo.

11 Sed meritò dubitabis, qualiter textus dict. capit. fin. obliget, cùm ſit ex Concilio provinciali deſumptus. Reſpondeo, eum obligare, eo quod ſit tacitè ab Eccleſia admiſſus: quod teſtatur omnium auctorum ſententia cenſentium per illum hæc bona non acquiri monaſterio, ſed hæredibus ab inteſtato.

12 Id demum obſervandum eſt, nullam exigi Judicis ſententiam, ne monaſterium ſuccedat in ea bona. Quod

clarè

clarè colligitur ex DD. allegatis *numero ſecundo* qui dicunt hunc contractum quoad bonorum acquiſitionem vitiari ipſo jure inſtar contractuum bonæ fidei, quibus dolus cauſam dedit: hi enim abſque Judicis ſententia ſunt irriti. Deinde, quia textus vult hæc bona pertinere ad hæredes monachi ab inteſtato. At ſi ea acquirerentur monaſterio, & in pœnam auferentur ei, non ſuccederent hæredes ab inteſtato, ſed fiſcus juxta regulam traditam à *Baldo leg. hæreditas, num. 6. Cod. de his quibus ut indig. & ibi Bart. num.* 3. & aliis, quos referunt, & ſequuntur *Covarruvias 4. decret. 2. part. cap. 28. §. 1. num. 9. in fine Molina lib. 1. de primog. num. 26. & 27.*

Finis totius Operis.

INDEX

INDEX
RERUM, ET VERBORUM,
Quæ in hoc opere continentur, ſerie alphabetica digeſtus.

A

Abbas.

Abbas quando conceſſit monacho beneficium manuale, aut peculium pro toto tempore vitæ ſuæ, an poſſit ad libitum revocare, lib. 7. cap. 29. num. 124.
Abbas an poſſit bona ſui monaſterii in feudum dare, l. 7. c. 19. n. 44.
Abbas nomine monachorum in pœnalibus etiam venit, l. 6. c. 8. n. 84.
Abbas expendens aliquid in uſus vanos, aut turpes, an peccet contra votum paupertatis, & ſit proprietarius, l. 7. c. 19. n. 22.
Abbas poteſt invito monacho, injuriam ipſi illatam remittere, l. 6. c. 12. n. 6.
Abbas accuſatus an debeat expenſas defenſionis à monaſterio habere, l. 6. c. 12. n. 24.
Abbatis poteſtas an tanta ſit in religioſos, ut poſſit eos in obſides dare pro debitis monaſterii, l. 6. c. 2. n. 63.
Abbatis factum in profeſſione expreſſa exigi, non autem in tacita, quo pacto intelligendum, l. 5. c. 3. n. 14.
Abbatis ſolius an ſit abſque conſenſu conventus præſentare, l. 7. c. 14. n. 7.
Abbatis ſolius an ſit ad religionis profeſſionem admittere abſque conventu, l. 5. c. 4. n. 64.
Abbati accuſato à monachis ob delictum, an ſit obediendum pendente accuſatione, l. 6. c. 2. n. 63.
Abbati an ſit integrum repudiare hæreditatem delatam monacho, ipſo invito, l. 7. c. 12. n. 42.
Abbati an competat actio circa depoſitum commendatum monacho, l. 6. c. 14. n. 31.
Abbas ſi videat res depoſitas apud monachum ſurripi, vel perire, neque obſtet, cùm poſſit, an teneatur reſtituere, ibid. n. 32.
Abbatem ſuum accuſare an poſſit religioſus, lib. 6. c. 12. n. 18. An exigatur venia, & licentia ad eum accuſandum, ibid. n. 19.
Abbatem quoties accuſat religioſus, ſunt ei de rebus monaſterii miniſtrandæ impenſæ, donec cauſa debitum finem accipiat, ibid. n. 20.
in Abbatem præficiendus certis monaſteriis, an poſſit ante annum profiteri, l. 5. c. 4. n. 15.
inter Abbatem, & monachum an cadat aliqua obligatio naturalis, l. 7. c. 17. n. 33.
Abbates, atque alii Prælati Epiſcopo inferiores, an poſſint unionem beneficiorum facere, ibid. lib. 7. cap. 29. num. 159.
Abbates antiqui qualiter difficillima, ac impoſſibilia ſubditis præceperint, & juri naturæ contraria, lib. 6. c. 2. num. 4.

Abbatiſſa.

Abbatiſſa poteſt in ſuo monaſterio profeſſionem monialium acceptare, l. 5. c. 4. n. 76.
Abbatiſſa an habeat liberam bonorum ſui monaſterii adminiſtrationem, l. 7. c. 19. n. 44.
Abbatiſſa non gaudet poteſtate ſpirituali in moniales, ſed ſola domeſtica, & civili, qualem habet materfamilias, in filios, & civilis magiſtratus in cives, lib. 6. cap. 1. num. 17.
Abbatiſſæ nolle obedire an ſit mortali, ibid. n. 18.
Abbatiſſa non poteſt imponere præcepta ſpiritualia, ibid. num. 19.
Abbatiſſa an poſſit præcipere monialibus in virtute Spiritus ſancti, & ſanctæ obedientiæ, ibid. n. 20.
Abbatiſſa poteſt præcipere ſub pœna voti obedientiæ ipſi præſtiti, ibid. n. 22.
Abbatiſſæ an poſſit committi, ut præcepta ſpiritualia imponat, ibid. n. 23.
Abbatiſſa an poſſit ex commiſſione Prælati diſpenſare in jejuniis, & legibus eccleſiaſticis, ibid. n. 24.
Abbatiſſæ conſtitutiones confirmatæ à Prælato, an habeant vim præcepti Prælati, ibid. n. 26.
Abbatiſſa habet juriſdictionem aliquam conceſſam à confirmante regulam, ad cogendas moniales, ut regulam obſervent, & puniendas ob ejus tranſgreſſionem, ibid. num. 27.
Abbatiſſa inquirens de monialis crimine, obligat ſub mortali ad veritatem patefaciendam, ibid. n. 28.
Abbatiſſa an poſſit concedere licentiam ingrediendi in monaſteria, l. 6. c. 16. n. 21.
Abbatiſſis an poſſit ſuperior generalem licentiam concedere, ut facultatem ingreſſus impertiantur, ibid. n. 23.
Abbatiſſa ut ſit monialis alterius monaſterii ejuſdem ordinis, juſta eſt cauſa concedendæ exitus licentiæ, l. 6. c. 15. n. 45.
Abbatiſſa eſſe non poteſt illegitima abſque diſpenſatione l. 5. c. 5. n. 19. ejus officium dignitas eſt. ibid.
ad Abbatiſſæ munus non deſideratur virginitas, niſi ubi mos eſſet impertiendi Abbatiſſis benedictionem ſpecialem virginum propriam, ſeu conſecrationem, lib. 5. c. 5. num. 22.
Abbatiſſarum communes benedictiones non etiam exigunt virginitatem, ibid.
Abbatiſſæ communes quæ triennales ſunt, non ſolent aliqua benedictione conſecrari, ibid.

Abdicatio.

Abdicatio bonorum non retrahit à religionis ingreſſu, l. 7. c. 6. n. 12.
Abdicatio proprietatis eſt de ſtatus religioſis eſſentia, l. 5. c. 1. n. 17.

Abſolutio.

Abſolutio conceſſa virtute bullæ cruciatæ, & privilegiorum religionis, non prodeſt pro foro exteriori, ſed tantùm pro foro conſcientiæ, l. 6. c. 17. n. 43.

Acceſſorium.

Acceſſorium naturam ſequitur principalis, lib. 7. cap. 1. num. 20.

Acceptatio.

Acceptatio profeſſionis non eſt actus ordinis, nec juriſdictionis pertinentis ad Eccleſiæ claves, l. 5. c. 4. n. 76.

Accidentalia.

ex Accidentalibus res non eſt definienda, l. 5. c. 1. n. 6.

Actus.

Actus internus, & externus ejuſdem objecti, eadem bonitate, & malitia, afficiuntur, l. 6. c. 18. n. 18.
Actus ab initio irritus ob impedimentum aliquod, tum demum convaleſcere incipit, quando ſublato impedimento ſubſequitur novus conſenſus, l. 7. c. 8. n. 59.
Actus profeſſorum exercentem an opus ſit eſſe novitium, l. 5. c. 3. n. 23.
Actus imperfectus ſi veniat ad caſum, à quo non poteſt incipere, l. 7. c. 6. n. 1.
Actus appellatione non venit actus, qui eſt invalidus, l. 7. c. 1. n. 28.
Actus internus non poteſt ab homine præcipi, niſi quatenus eſt neceſſarius ad conſtituendum externum in aligua virtutis ſpecie, l. 6. c. 1. n. 6.
Actum internum præcipienti ſuperiori an teneatur obedire religioſus, l. 6. c. 2. n. 6.
in Actu aliquo ubi exigitur alicujus licentia, an debeat eſſe expreſſa, l. 6. c. 11. n. 11.
in Actibus inter vivos lex non ſupplet, niſi in quantum verba patiuntur, l. 7. c. 16. n. 68.

Actio.

Actio intendenda an ſit contra monachum debitorem, aut potiùs contra monaſterium, l. 7. c. 31. n. 25.

Admiſſio.

Admiſſio ad profeſſionem non eſt actus ordinis, l. 5. c. 4. num. 8.
Admiſſio ad profeſſionem non potentis admittere, ut valeat, an ſat ſit ratihabitio ſubſequens potentis, & an ex tunc valeat, l. 5. c. 4. n. 80.
Adminiſtrationem ſolam monaſterii habens non poteſt ad profeſſionem admittere, l. 5. c. 4. n. 75.

Adventitia.

Adventitiorum uſusfructus, quæ pater poſt profeſſionem acquiſivit, an pertineat ad monaſterium, lib. 7. cap. 13. num. 76.

Advocatus.

Advocati officium, aut procuratoris an interdicatur monachis, & omnibus religioſis, l. 6. c. 13. n. 1. Et ſub his vocibus an comprehendatur omne munus ad cauſarum foram ſpectans, ibid.

Advocare.

Advocare quid ſit, l. 6. c. 13. n. 27. & 29.

Ædificium.

Ædificii Eccleſiæ perſpiciendi cauſa, an liceat Abbatiſſæ clauſura egredi, l. 6. c. 15. n. 52.

Æqua-